gelia, in quibus totus eſt Sanctiſſimus Pontifex, ut Chriſtianos adhortetur ad amorem Dei ſuper omnia, ejuſque mandatorum obſervationem, ad dilectionem proximi, ad timorem judiciorum Dei, ad dignam celebrationem Feſtorum, & Sacramentorum ſuſceptionem, ad tolerantiam malorum in adverſis, ad odium omnium vitiorum, ad exercitium, & incrementum Chriſtianarum virtutum. Hos itaque Sancti Gregorii Magni libros Morales mirifica Spiritus Sancti unctione perfuſos, auctor tibi ſum, chariſſime Diſcipule, ut aſſidue pervolvas, puram, & integerrimam Moralem Chriſtianam ex illis haurias, ad cujus normam tuos mores jugiter componas. *Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*, verba ſunt Apoſtoli Pauli I. ad Timotheum cap. IV.

FINIS TOMI SECUNDI.

FR. IGNATII HYACINTHI AMAT

DE GRAVESON

ORD. FF. PRÆDICATORUM

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORIS, ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,

OPERA OMNIA

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS, PERPETUISQUE ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

JOANNE DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI.

TOMUS SEXTUS

COMPLECTENS

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T. volumen tertium, nempe ſeptimum, octavum, & nonum Eccleſiæ Sæculum.

BASSANI, MDCCLXXIV.

SED PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

HAud minus feliciter in rei litterariæ commodum, quam cito, lucem aſpicit publicam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ variis Colloquiis digeſtæ Volumen tertium ſæcula ſeptimum, octavum, & nonum complectens, a Reverendo admodum Patre Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, multi ſtudii, multæ doctrinæ, acris & elegantis ingenii, miræ morum ſuavitatis, & jucundiſſimi rerum & ſermonum leporis viro concinnatum, cui jure merito poteſt accommodari quod ſcribit Seneca Epiſt. 59. *Habet verba in poteſtate: non effert te oratio, nec longius quam deſtinaſti, trahit .... præſſa ſunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis, & plus ſignificas, quam loqueris*. Hocce Volumen nihil fidei adverſum, nihil bonis moribus contrarium continet, quin multimoda & ſolida eruditione refertum eſt. Quare in omnium utilitatem, Theologorum in primis, a quibus diu deſiderata eſt plana & accurata Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitomes, prælo committetur. Datum Romæ in Conventu & Collegio S. Mariæ ſuper Minervam die 13. Novembris anni 1717.

Fr. Antonius Bardon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Cathedraticus Caſanatenſis, Ord. Præd.

Ecce in Orbem litterarium prodit Volumen tertium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab Reverendo admodum Patre Fratre *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo concinne digeſtum. Quod, jubente Reverendiſſimo Patre *Antonino Cloche* Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali, cum ſedulo ac diligenter perlegerim, nihil in eo plane detexi, quod ſive Orthodoxæ Fidei dogmatibus, ſive Chriſtianæ Ethices documentis, non ſit conſentaneum. Quid vero de reliquis præclariſſimi Operis dotibus ſentiam, iſtud quidem animo pervolvere, quam oratione complecti, longe facilius eſt. Cum priora ejuſdem celeberrimi Auctoris de Hiſtoria Eccleſiaſtica Volumina perluſtrandi provinciam aſſumpſiſſem, cuncta in ipſis adeo limata, docta, erudita, ad amuſſim exacta offendi, ut nihil ſelectum magis, nihil jucundius, aut dici, aut excogitari poſſe, putarem, exiſtimaremque. Aſt, mea me fefellit opinio, clariſſimus quippe Concinnator in hocce, quod præ manibus habeo, Opere, ita reconditos eruditionis fontes aperuit, gratos eloquentiæ lepores ſparſit, accuratas Critices leges propinavit, Eccleſiaſticos in ſuum quoſque ordinem redegit Faſtos, ita demum amœniſſimum rerum geſtarum campum expanſit, ut ſeipſum ſuperaſſe videatur. Quamobrem, iſtud omnino dignum cenſeo, ut typis committatur.

Datum Romæ, in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die 13. Novembris, anni 1717.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

IN-

INDEX COLLOQUIORUM

Quæ continentur in hoc tertio Tomo.

COLLOQUIA

In Hiſtoriam Eccleſiaſticam VII. & VIII. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

De ſtatu & loco, quo erant res Eccleſiæ ſæculis ſeptimo, & octavo ſub Imperatoribus & Principibus Chriſtianis. pag. 3.

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur continua ſeries Epiſcoporum, qui ſæculis ſeptimo & octavo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam tenuerunt. 17

COLLOQUIUM III.

De Sectis, & Hæreſibus, quæ ſeculis ſeptimo & octavo Eccleſiæ emerſerunt. 31

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ ſæculis ſeptimo, & octavo, ſive ad proterendas Hæreſes, ſive ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis fuerunt celebrata. 43

COL-

COLLOQUIUM V.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui ſæcula ſeptimum & octavum doctrina & pietate illuſtrarunt. 56

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Diſciplina, & Morali Chriſtianorum, qui ſæculis ſeptimo & octavo vixerunt. 68

COLLOQUIA IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM IX. SÆCULI.

COLLOQUIUM I.

In quo exhibetur Status Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis. 81

COLLOQUIUM II.

In quo texitur Series Epiſcoporum, qui nono Eccleſiæ ſæculo Sedes Romanam, & Conſtantinopolitanam tenuerunt. 99

COLLOQUIUM III.

De Gravibus Controverſiis, quæ nono ſæculo Eccleſiam perturbarunt. 106

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ ad Fidem ſtabiliendam & ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam nono ſæculo fuerunt convocata. 119

COLLOQUIUM V.

De Viris illuſtribus, qui nono Eccleſiæ ſæculo doctrinæ & pietatis laude claruerunt. 133

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, & de Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica, necnon de Morali Chriſtiana noni Eccleſiæ ſæculi. 147

HISTORIA

ECCLESIASTICA

VII. & VIII. Eccleſiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digeſta.

Septimi & octavi Eccleſiæ ſæculorum Hiſtoriam, quæ magnam dicendi ſegetem, argumentorum varietatem, multorum eventuum copiam ſuppeditat, juxta methodum a nobis hactenus obſervatam ſex Colloquiis ita abſolvam, ut inde tamen nullum Hiſtoria Eccleſiaſtica patiatur diſpendium, nihilque eorum prætermittam, quæ ad plenam & accuratam illius notitiam deſiderari poſſunt. In primo itaque Colloquio commonſtrabimus, quo loco eſſent res Eccleſiæ in ſæculis ſeptimo, & octavo ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis. In altero, exhibebimus continuam ſeriem Epiſcoporum, qui in duobus hiſce ſæculis præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam ſcilicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam & Conſtantinopolitanam occuparunt. In tertio referemus exordium, progreſſum, caſum, atque interitum Hæreſum, quæ in his duobus ſæculis Eccleſiam infeſtarunt. In